



INNOCENTIVS PP. XI.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



V M in lucem prodierint quidam Libri Authore Natali Alexandro Fratre Ordinis Prædicatorum Parisijs impressi, videlicet alij in sexdecim Volumina distributi, & à primo usque ad duodecimum saeculum inclusuè editi, sub titulo, *Selecta Historia Ecclesiastica Capitula*, & in loca eiusdem insignia.

Dissertationes Historicae, Chronologicae, Criticæ, Dogmaticæ; Alij verò in quatuor Opuscula diuisi, sub titulis.

Summa S. Thomæ Vindicata, Dissertationum Ecclesiasticarum trias, &c.

Dissertatio polemica de Confessione Sacramentali, &c. & contra Launoianas circa Simoniam Observations
Animaduersio: Quamplures autem ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ad eorundem Librorum examen, vna cum nonnullis in Sacra Theologia Magistris à Nobis specialiter delecti, auditis dictorum Theologorum, maturèque discussis sententijs, omnes Libros prædictos (si ita Nobis placet) prohibendos, & condemnandos esse, vnanimi consensu censuerint. Hinc est quod Nos creditum Nobis à Domino Pastoralis curæ, atque vigilantie munus quantum Nobis ex alto conceditur salubriter exequi cupientes, de eorundem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos Libros supradictos tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, seu retineri prohibemus ipsorumque Librorum omnium, & singulorum impressionem, descriptionem, Lectionem, retentionem, & Usum omnibus, & singulis Christi fidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pena excommunicationis per contrafuentes ipso facto absque alia declaratione incurrienda, à qua nemo à quocunquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus solutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes quicunque Libros prædictos, vel eorum aliquem penes se habuerint, illos, seu illum statim atque præsens litteræ eis innotuerint, teneantur tradere atque consignare locorum Ordinariis, vel hereticæ prauitatis visitoribus, qui exemplaria sibi sic tradita illicè flammis aboleri current; In contrarium facientibus non obviis quibuscumque. Ut autem ipsæ præsentes litteræ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiā allegare possit, Volumus, & auctoritate prædicta decernimus illas ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curforibus nostris, vt moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic verò publicatas omnes, & singulos quos concernunt, perinde afficere, & arctare, ac si uniuersique illorum personaliter intimatae, & notificatae fuissent: earundem autem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu aliquius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Iulij M. DC. LXXXIV. Pontificatus nostri Anno octavo.

Loco † Annuli Piscatoris;

I. G. Slusius.

Die 13. mense Iulij 1684. supradictum Breue affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Palati Sancti Officij, & in acie Campi Floræ, ac alijs locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Sanctiss. N. Papæ, & Sanctissima Inquisitio mihi subseruit.

Typographia Reuerenda Cameræ Apostolicæ. MDCLXXXIV.

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA
CREDOSUSAES